

Libellus Precum Personalis

A . M . D . G .

PARS I (1 - 10)

1. Per Signum Crucis

Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.
In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

2. Gloria Patri

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.
Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sæcula
sæculórum. Amen.

3. Angele Dei

Ángele Dei,
qui custos es mei,
me, tibi commíssum pietáte supérna,
illúmina, custódi, rege et gubérna. Amen.

4. Requiem Aeternam

Réquiem ætérrnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat
eis.
Requiescant in pace. Amen.

5. Actiones Nostras

Actiões nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et
adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te
semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum
Dóminum nostrum. Amen.

6. Ave Maria

Ave Maria, grátia plena, Dóminus tecum.
Benedícta tu in muliéribus,
et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.
Sancta María, Mater Dei,
ora pro nobis peccatóribus,
nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

7. Pater Noster

Pater noster, qui es in cælis,
sanctificétur nomen tuum.
Advéniat regnum tuum.
Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie,
et dimítte nobis débíta nostra, sicut et nos dimíttimus
debitóribus nostris.
Et ne nos indúcas in tentatiónem,
sed líbera nos a malo. Amen.

8. Actus Fidei

Dómine Deus, firma fide credo et confíteor ómnia et síngula
quæ sancta Ecclésia Cathólica propónit, quia tu, Deus, ea
ómnia revelásti, qui es ætéRNA véritas et sapiéntia quæ nec
fállere nec falli potest. In hac fide vívere et mori státuo. Amen.

9. Actus Spei

Dómine Deus, spero per grátiam tuam remissionem ómnium peccatórum meórum, et post hanc vitam ætérrnam felicitátem me esse consecutúrum, quia tu promísisti, qui es infínite potens, fidélis, benígnus et miséricors. In hac spe vívere et mori státuo. Amen.

10. Actus Caritatis

Dómine Deus, amo te super ómnia et próximum meum propter te, quia tu es summum, infínitum, et perfectíssimum bonum, omni dilectióne dignum. In hac caritáte vívere et mori státuo. Amen.

PARS II (11 - 20)

11. Sancte Michael Archangele

Sancte Mícheal Archángle, defénde nos in prælio; contra nequítiam et insídias diáboli esto præsidium. Ímperet illi Deus, súpplices deprecámur: tuque, Princeps milítiae cæléstis, Sátanam aliósque spíritus malignos, qui ad perditionem animárum pervagántur in mundo, divína virtúte in inférnum detrúde. Amen.

12. O Domina Mea

O Dómina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devótum, cónsecro tibi hódie óculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quóniam ítaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defénde me ut rem ac possessiónem tuam. Amen.

13. Sub Tuum Praesidium

Sub tuum præsidium confúgimus, sancta Dei Génetríx; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta. Amen.

14. Crux Sacra Sit Mihi Dux

Crux sancta sit mihi lux, non draco sit mihi dux. Vade retro, Sátana! Numquam suáde mihi vana; sunt mala quæ libas, ipse venéna bibas. Amen.

15. O Salutaris Hostia

O salutáris Hóstia,

quæ cæli pandis óstium:
bella premunt hostília,
da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
sit sempitérna glória,
qui vitam sine término
nobis donet in pátria. Amen.

16. Ave Verum

Ave verum Corpus, natum

de María Vírgine,
vere passum, immolátum
in cruce pro hómine,
cuius latus perforátum
fluxit aqua et ságuine:
esto nobis prægustátum
in mortis exámine.

O Iesu dulcis, O Iesu pie, O Iesu, fili Maríæ. Amen.

17. Anima Christi

Ánima Christi, sanctífica me.
 Corpus Christi, salva me.
 Sanguis Christi, inébria me.
 Aqua láteris Christi, lava me.
 Pássio Christi, confórta me.
 O bone Iesu, exáudi me.
 Intra tua vúlnera abscónde me.
 Ne permíttas me separári a te.
 Ab hoste malígnio defénde me.
 In hora mortis meæ voca me.
 Et iube me veníre ad te,
 ut cum Sanctis tuis laudem te
 in sæcula sæculórum. Amen.

18. Confiteor

Confiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini,
 beáto Michaéli Archángelo, beáto Ioánni Baptístæ, sanctis
 Apóstolis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis, quia peccávi
 nimis cogitatióne, verbo et ópere: mea culpa, mea culpa, mea
 máxima culpa. Ídeo precor beátam Maríam semper Vírginem,
 beátum Michaélem Archángelum, beátum Ioánnem
 Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, et omnes
 Sanctos, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum. Amen.

19. Memorare

Memoráre, O piíssima Virgo María, non esse audítum a sáeculo, quemquam ad tua curréntem præsídia, tua implorántem auxília, tua peténtem suffrágia, esse derelíctum. Ego tali animátus confidéntia, ad te, Virgo vírginum, Mater, curro, ad te vénio, coram te gemens peccátor assísto. Noli, Mater Verbi, verba mea despícere; sed audi propítia et exáudi. Amen.

20. Salve Regina

Salve, Regína, Mater misericórdiæ, vita, dulcédo et spes nostra, salve.

Ad te clamámus, éxsules filii Hevæ.

Ad te suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle.

Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte.

Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílum osténde.

O clemens, O pia, O dulcis Virgo María. Amen.

PARS III (21 - 30)

21. Veni, Sancte Spiritus

Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Emítte Spíritum tuum et creabúntur. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus. Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti, da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de eius semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

22. Angelus Domini

Ángelus Dómini nuntiávit Maríæ.

Et concépit de Spíritu Sancto.

Ecce ancílla Dómini.

Fiat mihi secúndum verbum tuum.

Et Verbum caro factum est.

Et habitávit in nobis.

Ora pro nobis, sancta Dei Génatrix.

Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus. Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Ángelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnationem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectionis glóriam perducámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

23. Regina Caeli

Regína cæli, lætáre, allelúia.

Quia quem meruísti portáre, allelúia.

Resurréxit, sicut dixit, allelúia.

Ora pro nobis Deum, allelúia.

Gaude et lætáre, Virgo María, allelúia.

Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Dómini nostri Iesu Christi, mundum lætificare dignátus es: præsta, quæsumus; ut, per eius Genetrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capíamus gáudia vitæ. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

24. Ave Regina Caelorum

Ave, Regína cælórum,

Ave, Dómina Angelórum:

Salve, radix, salve, porta

Ex qua mundo lux est orta:

Gaude, Virgo gloriósa,

Super omnes speciósa,

Vale, o valde decóra,

Et pro nobis Christum exóra.

Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus. Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ
præsídium: ut, qui sanctæ Dei Genetrícis memóriam ágimus;
intercessiónis eius auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus.
Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

25. Alma Redemptoris Mater

Alma Redemptóris Mater, quæ pέρvia cæli

Porta manes, et stella maris, succúrre cadénti,

Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti,

Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem,

Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore

Sumens illud Ave, peccatórum miserére. Amen.

26. Nunc Dimittis

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine,
secúndum verbum tuum in pace:
Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum,
Quod parásti ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Ísrael.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.
Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sæcula
sæculórum. Amen.

27. Ubi Caritas

Ubi cáritas et amor, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.
Exsultémus, et in ipso iucundémur.
Timeámus, et amémus Deum vivum.
Et ex corde diligámus nos sincéro.

Simul ergo cum convenímus:
ne nos mente dividámur, caveámus.
Cessent iúrgia maligna, cessent lites.
Et in médio nostri sit Christus Deus.

Simul quoque cum beátis videámus,
gloriánter vultum tuum, Christe Deus:
Gáudium quod est imménsum, atque probum,
sæcula per infiníta sæculórum. Amen.

28. Panis Angelicus

Panis angélicus fit panis hóminum;
dat panis cáelicus figúris términum:
O res mirábilis! mandúcat Dóminum
pauper, servus et húmilis.

Te trína Déitas unáque póscimus:
sic nos tu vísita, sicut te cólimus;
per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
ad lucem quam inhábitas. Amen.

29. Iesu, Dulcis Memoria

Iesu, dulcis memória,

dans vera cordis gáudia:
sed super mel et ómnia
eius dulcis præséntia.

Nil cánitur suávius,
nil audítur iucúndius,
nil cogitátur dúlcius,
quam Iesus Dei Fílius.

Iesu, spes pœniténtibus,
quam pius es peténtibus!
quam bonus te quæréntibus!
sed quid inveniéntibus?

Nec lingua valet dícere,
nec lítterá exprímere:
expértus potest crédere,
quid sit Iesum dilígere.

Sis, Iesu, nostrum gáudium,
qui es futúrus præmium:
sit nostra in te glória,
per cuncta semper sæcula. Amen.

30. Ave, Maris Stella

Ave, maris stella,

Dei Mater alma,
atque semper Virgo,
felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
funda nos in pace,
mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
prófer lumen cæcis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
sumat per te preces
qui pro nobis natus
tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
inter omnes mitis,
nos culpis solútos
mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
iter para tutum,
ut vidéntes Iesum
semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
summo Christo decus,
Spíritui Sancto
tribus honor unus. Amen.

PARS IV (31 - 40)

31. Te Lucis Ante Terminum

Te lucis ante términum,

rerum Creátor, póscimus,

ut sólita cleméntia

sis præsul ad custódiam.

Procul recédant sómnia

et nóctium phantásmata;

hostémque nostrum cómpri-

ne polluéntur córpora.

Præsta, Pater piíssime,

Patríque compar Únice,

cum Spíritu Paráclito

regnans per omne sæculum. Amen.

32. Magnificat

Magníficat ánima mea Dóminum,
et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ;
ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius.
Et misericórdia eius a progénie in progénies
timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit superbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede,
et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis,
et dívites dimísit inánes.
Suscépit Ísrael púerum suum,
recordátus misericórdiæ suæ.
Sicut locútus est ad patres nostros,
Ábraham et sémeni eius in sæcula.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.
Sicut erat in princípío, et nunc, et semper,
et in sæcula sæculórum. Amen.

33. Benedictus

Benedíctus Dóminus Deus Ísrael,
 quia visitávit et fecit redemptionem plebis suæ;
 et eréxit cornu salútis nobis
 in domo David púeri sui.
 Sicut locútus est per os sanctórum,
 qui a sæculo sunt, prophetárum eius.
 Salútem ex inimícis nostris,
 et de manu ómnium qui odérunt nos.
 Ad faciéndam misericórdia cum pátribus nostris,
 et memorári testaménti sui sancti.
 Iusiurándum, quod iurávit ad Ábraham patrem nostrum,
 datúrum se nobis,
 ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti,
 serviámus illi.
 In sanctitáte et iustítia coram ipso
 ómnibus diébus nostris.
 Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis:
 præibis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius.
 Ad dandam sciéntiam salútis plebi eius
 in remissionem peccatórum eórum.
 Per víscera misericórdiæ Dei nostri,
 in quibus visitávit nos óriens ex alto:
 illumináre his qui in tenébris et in umbra mortis sedent,
 ad dirigéndo pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.
 Sicut erat in princípio, et nunc, et semper,
 et in sæcula sæculórum. Amen.

34. Oratio Ante Studium

Creátor ineffábilis, qui de thesáuris sapiéntiæ tuæ tres Angelórum hierárchias designásti, et eas super cælum empýreum miro órdine collocásti, atque univérsi partes elegantíssime disposuísti: Tu, ínquam, qui verus fons lúminis et sapiéntiæ díceris et superéminens princípium, infúndere dignéris super intellectus mei tenébras tuæ claritátis rádium, dúplicem, in qua natus sum, a me remóvens caliginem, peccátum scílicet et ignorántiam. Tu, qui linguas infántium facis disértas, linguam meam erúdias atque in lábiis meis grátiam tuæ benedictiónis effúndas. Da intelligéndi acúmen, retinéndi capacitátem, addiscéndi modum et facilitátem, interpretándi subtilitátem, loquéndi grátiam copiósam. Ingréssum ínstruas, progréssum dírigas, completórium cómpleas: Tu, qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

35. Flos Carmeli

Flos Carméli, vitis florígera,
splendor cæli, Virgo puérpera,
singuláris.

Mater mitis, sed viri néscia,
Carmelítis esto propítia,
Stella maris.

Radix Iesse gérmítans flósculum,
nos ad se tecum dúcere concédas,
inter spinas quæ crescis lílium,
serva puram mentem fragílum
tutéla.

Armatúra fortis pugnántium,
furunt bella, tu tene scuta;
infídelis Mater clemens fídei,
certo duc nos ad cælum. Amen.

36. Pange Lingua

Pange, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
quem in mundi prétium
fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
ex intácta Vírgine,
et in mundo conversátus,
sparso verbi sémine,
sui moras incolátus
miro clausit órđine.

In suprémxæ nocte coenæ
recúmbens cum frátribus
observáta lege plene
cibis in lege præscríptis,
cibum turbæ duodénæ
se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
verbo carnem éfficit:
fitque sanguis Christi merum,
et si sensus déficit,
ad firmándum cor sincérum
sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
venerémur cernui:
et antíquum documentum
novo cedat rítui:
præstet fides supplementum
sénsuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
laus et iubilátio,
salus, honor, virtus quoque
sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
compar sit laudátio. Amen.

37. Adoro Te Devote

Adóro te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas:
Tibi se cor meum totum súbicít,
Quia te contémplans totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur.
Credo quidquid dixit Dei Fílius:
Nihil hoc verbo veritátis vérius.

In cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas;
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnídens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor;
Deum tamen meum te confíteor.
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini!
Panis vivus, vitam præstans hómini!
Præsta meæ menti de te vívere
Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Iesu Dómine,
Me immúndum munda tuo ságuine:
Cuius una stilla salvum fácere
Totum mundum possit ab omni scélere.

Iesu, quem velátum nunc aspício,
Oro fiat illud quod tam sítio;
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

38. Veni, Creator Spiritus

Veni, Creátor Spíritus,

mentes tuórum vísita,
imple supérna grátia,
quæ tu creásti péctora.

Qui díceris Paráclitus,
donum Dei Altíssimi,
fons vivus, ignis, cáritas,
et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
dígitus patérnæ délixteræ,
tu rite promíssum Patris,
sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,
infúnde amórem córdibus,
infírma nostri córporis
virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngius,
pacémque dones prótinus:
ductóre sic te prævio,
vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,
noscámus atque Fílium,
teque utriúsque Spíritum
credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,
et Filio, qui a mórtuis
surréxit, ac Paráclito,
in sæculórum sæcula. Amen.

39. Te Deum Laudamus

Te Deum laudamus: te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem omnis terra venerátur.

Tibi omnes Ángeli, tibi Cæli et univérsæ Potestátes:

Tibi Chérubim et Séraphim incessábili voce proclámant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra maiestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus Apostolorum chorus,

Te Prophetárum laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus laudat exércitus.

Te per orbem terrárum sancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménsæ maiestátis;

Venerándum tuum verum et únicum Fílium;

Sanctum quoque Paráclitum Spíritum.

Tu rex glóriæ, Christe.

Tu Patris sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, non horruísti
Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, aperuísti credéntibus regna
cælórum.

Tu ad dexteram Dei sedes in glória Patris.

Iudex créderis esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis subvéni, quos pretiósó
sáanguine redemísti.

ÆtéRNA fac cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti
tuæ.

Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Per singulos dies benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, quemádmódum
sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: non confúndar in ætérnum. Amen.

40. Stabat Mater

Stabat Mater dolorósa
iuxta Crucem lacrimósa,
dum pendébat Fílius.

Cuius ánimam geméntem,
contristátam et doléntem
pertransívit gládus.

O quam tristis et afflícta
fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!

Quæ moérébat et dolébat,
Pia Mater, dum vidébat
Nati pœnas ínclyti.

Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
in tanto supplício?

Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
vidit Iesum in tormentis,
et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem Natum
moriéntem desolátum,
dum emísit spíritum.

Eia, Mater, fons amóris,
me sentíre vim dolóris
fac, ut tecum lúgeam.

Fac, ut árdeat cor meum
in amándo Christum Deum,
ut sibi pláceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas
cordi meo valde.

Tui Nati vulneráti,
tam dignáti pro me pati,
pœnas mecum dívide.

Fac me tecum pie mecum,
Crucifíxo condolére,
donec ego víxero.

Iuxta Crucem tecum stare,
et me tibi sociáre
in planctu desídero.

Virgo vírginum præclára,
mihi iam non sis amára,
fac me tecum plángere.

Fac ut portem Christi mortem,
passiónis fac consórtem,
et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
fac me Cruce inebriári,
et cruóre Fílii.

Flammis ne urar succénsus,
per te, Virgo, sim defénsus
in die iudícii.

Christe, cum sit hinc exíre,
da per Matrem me veníre
ad palmam victóriæ.

Quando corpus moriétur,
fac, ut ánimæ donétur
Paradísi glória. Amen.

INDEX GENERALIS

PARS I (1 - 10)

1. Per Signum Crucis	3
2. Gloria Patri.....	3
3. Angele Dei	3
4. Requiem Aeternam	3
5. Actiones Nostras	3
6. Ave Maria.....	4
7. Pater Noster	4
8. Actus Fidei.....	4
9. Actus Spei	5
10. Actus Caritatis	5

PARS II (11 - 20)

11. Sancte Michael Archangele	7
12. O Domina Mea	7
13. Sub Tuum Praesidium.....	7
14. Crux Sacra Sit Mihi Dux	7
15. O Salutaris Hostia.....	8
16. Ave Verum	8
17. Anima Christi.....	9
18. Confiteor	9
19. Memorare.....	10
20. Salve Regina.....	10

PARS III (21 - 30)

21. Veni, Sancte Spiritus.....	11
22. Angelus Domini	12
23. Regina Caeli.....	13

24. Ave Regina Caelorum..... 14

25. Alma Redemptoris Mater 14

26. Nunc Dimittis15

27. Ubi Caritas15

28. Panis Angelicus..... 16

29. Iesu, Dulcis Memoria17

30. Ave, Maris Stella..... 18

PARS IV (31 - 40)

31. Te Lucis Ante Terminum..... 21

32. Magnificat 22

33. Benedictus23

34. Oratio Ante Studium 24

35. Flos Carmeli25

36. Pange Lingua 26

37. Adoro Te Devote.....28

38. Veni, Creator Spiritus..... 30

39. Te Deum Laudamus32

40. Stabat Mater 34

IDX